

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Epistola Historica, qua olim Rabbinum Copiliam nunc vero
Christianum Fürchte Gott Liepmannum, Doctrinaeque
purioris evangelicae studiosum offert, & ad tres
Orationes valedictorias, die XIII Julii ...**

Eilers, Wessel

Oldenburgi, MDCCXXXIX.

VD18 13276506-001

[urn:nbn:de:gbv:45:1-704318](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-704318)

Epistola Historica,

qua

olim Rabbinum Copiliam ;

nunc vero

Christianum **Fürchte Gott**

Liepmannum ,

Doctrinaeque purioris evangelicae
studiosum

offert, &

ad tres Orationes valedictorias,

die XIII Julii cl^o l^occc XXXIX.

in

Schola Jeverana,

hora

a meridie secunda habendas ,

decenter invitat

WESSELIUS EILERS,

Scholae Rector.





OLDENBURGI,

Typis I.C. Götien, Regis Dan. priv. Typogr.

21 21







Quod de discipulo hodie narraturus sum, Lector Benevole, an Scholae nostrae unquam acciderit, vel aliis saepenumero obtingat, valde dubito. Mihi quidem de nostra huiusmodi quid nihil constat; de aliis vero alii iudicent.

Per biennium enim, & quod excurrit, *Schola Ieverana* aluit olim Rabbini doctum, nunc vero sacris tinctum Christianae religionis evangelicae, & ad studia praeparatum theologica.

Huius fata, quia curae divinae aliquid singulare spirant, meum esse duco, ut, quam brevissime poterit, explicem. Intra tamen limites historiae me continebo; reliqua piaec mentis attentioni plane remissurus.

Natus ille est Monte regio Novae Marchiae, die VI Kalendarum Iunii clō 1729. Qui cum suscepit pater, est *Iudaeus Liepmann Berolinensis*. Hic filium, circumcisionis subiectum ritibus, *Copiliam* vocari iussit.

Quum vero decimus aetatis annus circum ageretur; amita, puerum sagaci esse ingenio, litterisque



❁ ❁ ❁

rabbinicis a parente destinatum intelligens, ad se Pragae, Talmudistarum sedem, adductum voluit. Vbi voluminibus talmudicis quatuor annos ab adolescente diligentissime evolutis, factum est, ut supremi Iudaicarum caerimoniarum interpretis suasu, ad maiora eius cognitionis incrementa, se *Metas* porro conferret.

Heic loci secundum annum nondum absolverat, cum, collatis Rabbinorum cum sacro codice expositionibus iam inciperet dubitare, an veritati divinae, quae magistri haecenus tradiderant, convenirent.

Monstrata igitur opportunitate, dubium, quod de effato Ieremiae XXXIII. v. 17. sigillatim habuit, mente sua non compressit, nec, quid de eo rectius sentiret, reticuit. Hoc facto, in disceptationem cum eo descenderunt nonnulli doctorum ibi praesentes. Quorum obiectionibus quum non cederet; invidia effecit, ut sacris solemnitatibus, ipsaque academia, per quatuor hebdomades, à docentium & discipulorum rectore interdiceretur.

Qua poena, tantum absuit, ut frangeretur, ut potius plura inquirendi occasionem sumserit. Nihilominus tamen minus haec & in posterum ferenda calamitas mentem, a studiis plane avocata, ad mercaturam deduxit.

Huic ergo quo aptior reddetur, e Christi confesso;



fessoribus quendam elegit, qui ad linguam germanicam legendam & scribendam eum formaret. Eaque percepta arte, *Crucinacium*, Electoratus Palatini urbem, clō Iccc XXV. petiit, officia & operam mercatori iudaeo praebiturus. Talemque consequutus, quatuor annos, qua decet dexteritate, coluit. Enim vero institorii muneris exercitationem, Deo dirigente, sic moderatus est, ut otia sacris bibliis legendis, a quibus caeteroquin Rabbini abhorrent, frequenter ille tribueret.

Nec quiescere prius ei licuit, quam sacri codicis, in linguam germanicam translati, copiam haberet. Id animi desiderium feliciter tandem *Meisenheimi Bispontinorum* impletum videt. Saepius enim ob negotia ad hanc urbem missus, concionatorem reformatae religionis adiit, ut, soluto pretio, eiusmodi librum forma minori concederet. Quem primo difficulter, deinde veram mentis rationem aperiens, gratis accipit. Ne vero, qualem librum habeat, alii conspiciant; in quatuor partes dividit, legit avidè, confert cum textu originali, videt denique summam nec ei satis mirandam sensus convenientiam, quae inter dicta hebraea & germanica intercedat.

Quoties autem Rabbitorum interpretationes in consilium vocat, easque vel ad hebraea, vel ad germanica exigit; toties illas ab hisce magis, quam a-



tram noctem a multa diei luce distare observat.

Quo itaque diligentius legit, & eiusmodi comparationem accuratius instituit; in eo plures dubiorum perturbationes coniicitur.

Haec licet ei fere intolerabilia viderentur, tamen priori exemplo suo & aliorum edoctus, cautior fuit, nec habuit quenquam, cui secure id vltus sanandum aperiret.

Mortuo itaque clolo cc XXV. mercaturae patrono, redit in patriam, vt meliorem animi quietem, pro opinione sua, obtineat. Quia vero gentis iudaicae & cognitionis, vnde etiam periculi & persecutionum, longe ibi, quam aliis locis maior erat copia: spe tranquillitatis omnino excidit. Quae ex causa suspensus teneri, quam suo cum incommodo dubia vlli exponere maluit.

Vt autem interior dolorum molestia, si gravior est, vix eo vsque reprimatur, vt nec vultu, nec sermone, nec factis appareat: ita *Copilia* cordis angorem non texit, quo minus parentes & domestici observarent.

Hi igitur, quamvis filium libentius domi tenuissent, in eius tamen arbitrio posuerunt, sive apud eos maneret, sive ad aliam se urbem conferret; sive repeteret studia, sive rursus tabernam aperiret. Timuerunt enim, ne, si quo ipsorum mandato esset

set coactus, delirio denique, cuius iam statueran
initia, omnino opprimeretur. *Copilia*, hac liberta
te accepta, *Francofurtum ad Moenum* se profectu
rum pronuntiavit. Scopo vero in ipsa via muta
to, *Cliviam* contendit.

Vbi mercatori Judaeo se committens, plane sin
gularem Dei gratiam, semestri nondum elapso, ce
lebrat.

Per hanc enim factum esse laetus confitetur, vt in
Ministram quendam ecclesiae, *de Mann* cognomi
natum, Virum eximie doctum pariter ac humanum
& laboriosum inciderit, qui scrupulis animi intel
lectis, liberiolem ad se accessum permisisse, ad ob
iectiones praepositas mira perspicuitate respondisse,
idque multo labore per infinitam Dei misericordi
am effecisse laudatur, vt de veritate religionis Chri
stianae, ac de fallacia Iudaicarum ceremoniarum
convictus, huic renunciare, illam vero amplecti
firmiter constituerit.

Verum enim, hanc urbem, in qua ditissimorum
non exiguus iudaeorum numerus habitabat, ob me
tum persecutionis, quem eo tempore vincere non po
tuit, confessioni mutandae minus convenientem
fore, iudicavit.

Quare, cum praeterea doctrinam gratiae divinae
per Christum vniversalis, cum Dei natura & perfe
ctionibus,



Etionibus, cum summa & aequali omnium mortalium per lapsum mentis corruptione, cum intellectus naturali modo concludendi, cum effatis denique sacri codicis Veteris & Novi Testamenti, conspirare melius, quam gratiae particularitatem vidisset: in *Sueciam*, vbi nec iudaeorum mansiones, nec alia, proposito contraria, offendebantur, duxit consultius fugere ad salutem.

Data interim occasione in *Frisiam Orientalem* proficiscendi, per aliquod tempus *Emdae & Auricae* commoratus est, eo tamen animo, vt, quod iter in *Sueciam* sibi proposuerat, minime mutaret.

Ea tempestate incidit cum iudaeo quodam *Emdano* in litem, quae, vt a iudicio *Ieverano* feliciter dirimeretur, huc eum transduxit. Litis autem inceptae cum tempus trahi, seque a firmo illo itineris *Suecici* proposito longius avocari conspiceret: & mente doluit, & corpore sensit aegritudinem, vulgari pertinaciorem.

Quamvis itaque non vnam iudaeorum familiam in suburbio *Ieverano* degere, & conviciorum plaustra, pro inveteratis huius gentis moribus, adportaturam, intelligeret: tamen superatus conscientia, corporisque pressus imbecillitate & tempore praeclusus, omnia rupit timoris vincula, praeter modum hactenus ipsi valida. Confidenter enim

enim sperabat, futurum, vt mendacia, quo plura
 evolarent, eo minorem ~~fac~~ hab^{erent} vim & effica-
 ciam; quia iudicis aequitatem & iustitiam haec
 singula coram & per litteras inquisitionem certo
 sibi persuasit.

Hicce & talibus, non sine precis ad Deum ar-
 dore ruminatis sic corroborabatur, vt initio Fe-
 bruarii clo Idce XXXV ad virum maxime vene-
 randum *Christianum Reuterum*, sacro sanctae Theo-
 logiae Doctorem celeberrimum, cuius singulari
 curae res ecclesiasticae Jeveranorum sunt traditae,
 forti animo accederet, & de iudaeorum cum
 Christianismi confessione, certo mutanda, loque-
 retur.

Huic sigillatim monstravit causas, quae tot an-
 nos ita eum cruciarint, vt solatium, menti suffici-
 ens & in iudicio divino constanter duraturum, in-
 venire nec in lege, nec in iudaeorum quisquiliis,
 nec in ineptiarum & superbiae fraudibus potuerit.

Quod quidem propositum *vir maxime vene-
 randus* in eo laudavit, repetitis tamen vicibus inter
 alia hoc adiunxit. *Consideraret COPILLA ac probe pro-
 beque inquireret, quid esset factururus? quid concuperet?
 Nisi serio & ardentem, nisi & animi constantia id
 expeteret: Deum, qui sciret omnia, qui esset iustus, ne
 illuderet.*

B

Eius



Eiusmodi sinceram Doctoris admonitionem, observante gratiarum actione sulciciens, animi dexteritatem, quibuscumque potuit viribus, saepenumero contestatus est, nec cessavit prius, quam voti fuit particeps, animique amplius instruendi causa *Maxime venerandi Reuteri* aedes diligentissime invisit.

Hac re palam facta, cum non pauci iique extremae malitiae rumores de eo exirent; neque deessent ex iudaeis, qui summa ab eo scelera aliis locis admissa aperte dicerent, eaque promitterent confirmare: attentius existerat *serenissimi Principis ac Clementissimi rerum sacrarum Collegium*, nec relinquebat, Singula, quae proferebantur, omni studio, quid argumenti habeant, examinare.

Eam inquisitionem cum & ipse baptizandus submitte nec semel peteret; quid? quod eo confidentiae progrediretur, ut pro sua re, melius curanda, ad *Aulam serenissimi & clementissimi Principis servestanam* iter faceret: mendaciorum fraus, & inimicorum malitia, missis hinc inde, ubi antea fuerat, litteris, detecta est.

Nihilo tamen minus iudaeorum clamores, ut & eorum, qui ab illis regebantur, effecerunt, ut sacrum baptismatis acium quatuordecim differre menses opus esset.

Cuiusmodi temporis prolatio, iuxta & hactenus re-

recensita, ei sane, ~~sane~~, qui non nisi privato labore, per Dei gratiam, tantum cognitionis, quantum raro obtingit, alibi hauserat, non leues fuere tentationes, potuissentque alterius, non satis firmati, animum in sinistram trahere.

At vero tale quid conuerso nostro, licet honore & ignominia praecipue afficiatur, non accidit, qui Christi luce evangelica se adeo collustratum in publica ecclesiae confessione iis, qui adfuerunt, exhibuit, vt eo tempore multi confiterentur: *non alium, nisi qui ipse actu praesens fuerit, credere, quod res fidei eo usque ipsi expedita sit.*

Erat enim ad chorum templi locus, vnde, quae agebantur, cuncti viderent audirentque, altius exstructus. Eum conscendebat, habita prius concione ex luculentis Pauli verbis, quae reperimus 2 Corinth. c. III. comm. 14. usque ad finem, *Maxime Venerandus Superintendens* cum confessuro, qui nihil nec schedulae nec libri adferebat.

Praecipue quaerenda, sed sine adiectis responsionibus, ante actum confessionis, & baptismi ei dabantur.

Quorum non pauca tanti erant momenti, vt satis haberet ministerii candidatus, si ad ea accurate, prout ille fecit, responderet.

Nimis vero longum esset heic loca adducere, quae nam figillatim de religione, de Deo trinuno, de ho-



minis diversis ante & post lapsum statibus, de sensu spirituali legis moralis & eius perfectione, de summa hominis lapsi in spiritualibus corruptione, de necessitate Messiae spiritualis & reconciliationis, de Messia ipso eiusque statibus & officiis, de mediis gratiam Messiae homini offerentibus, de spiritus sancti persona, eiusdemque per verbum & sacramenta munere & actibus, de medio iustitiam & salutem Messiae accipiente, & quae aliae quaestiones ad confidentem, ad quas ex animo respondeat, sint directae.

Id tamen mihi videor salvo officio non tacere quod liberiori in singulis, nec sine affectu excitatori vsus sit sermone, quo sane facto auditorum non paucos valde commovit; quod explicationem rei quaesitae convenientissimam dederit; quod expositorum probationes tam e Mose, quam prophetis & psalmis sumserit, eorumque dicta hebraice & germanice e memoria tam copiose recitaverit, ut nutu sufficientiam indicare *Viro Maxime Venerando* non semel necesse videretur; quod probandi vim e dictis clare monstraverit, quod doctrinae confessae vsus, in posterum ipsi contra scandala & impietatem adhibendos, adiecerit; quod denique in illis omnibus ita se gesserit, ut cuncta praesentium iudicia de dignitate sacro sanctae lavationis accipiendae tacite sibi cumulaverit.

Namque summo attentionis applausum docto-
rum,

rum, qui non rari e vicinitate advehebantur, quam caeterorum, quibus omnibus in templo locus non erat, is auscultabatur.

Finita igitur confessione publica testes suscepti sacramenti prodibant primo quidem *serenissimus ac clementissimus Princeps Iohannes Ludovicus, summus Dynastiae Ieveranae Satrapa*, deinde Vir Perillustris *Augustus de Dieskau*, Vice praeses Dynastiae Ieveranae, & provincialis praetor, in Deo iam beatus; tandemque Vir genere, doctrina, & longo rerum bonarum usu Amplissimus *Anthonijs Balichius* rerum publicarum & sacrarum Consiliarius. Isque sacer baptismatis actus die IV. Non. Maii cl^o Id^o ccXXXVI perficiebatur a Vi-
ro, quem singulari diligentia & circumspectione confessionem praecedentem direxisse, Venerationis gratia plus ^{quam} semel nuncupavimus. Nomen, quod simul ex *Clementissimo Serenissimi Principis nostri Regentis praescripto* imponebatur, ei erat *Christian Fürchte Gott*.

Fuerunt, huic ad voluntatem divinam exactis, e numero doctorum permulti, qui palam dicebant, nihil fere, nisi aliqualem sacrae orationis habendae institutionem ei deesse; quae si accederet, felicem nobis expectari verbi divini praekonem. In primo enim textu originali eum plus, quam vulgariter doctos promittere. Alii vero cum adiungerent, requiri etiam linguae latinae & graecae notitiam: iterum alius, nec eas sufficere, adfe-
rebat



rebat, nisi, caeteris praetermissis, litterarum desiderium in converso illo deprehenderetur. Ego vero haec volvens animo revolvensque, non omnes doctos, vni muneris gradui inservire, mecum cogitabam, & colloquium aliquod cum eo domesticum non longe abhinc institui. Unde cognovi, non omnes studiorum cupiditates longo temporis tractu, quo abstinuit, exspirasse, sed vires, si non in COPILIA, tamen in CHRISTIANO JURCHÉ & DELIEPMANNO rursus cepisse.

Ipsae autem doluit, quod Deo sibi, & aliis per tot annorum spatium impedimento fuerit. Quod si eo tempore, quo primum convictus, ad nos transisset; se iam, quae Dei fuisset gratia, efficere multum potuisse in litteris, quae a nobis colantur. Sperare tamen, se tantum, ut linguam latinam & graecam intelligat, praestitutum, modo Scholam, cuius ipsum non pudeat, frequentaret.

Per me quidem et collegas id gratis licere, respondebam. Nos enim, quoad potuerimus, ei non defuturos. Ipsius autem esse, qui tot tantaque Clementiae documenta a SERENITATUM PRINCIPIBUS, quos IEVERANI devotissime colant, acceperit, ut nunc SERENISSIMI PRINCIPIS IOHANNIS AVGVSTI, PRINCIPIS NOSTRI AC DOMINI LONGE CLEMENTISSIMI liberalitatem per senatum sacrum pro aperienda sibi schola submitte imploraret.

Hac largita concessione animi & gratiae magnitudinem, quae in PRINCIPE NOSTRO CLEMENTISSIMO

MO



MO sit, minime permissuram, ut studia sacra, semel incepta, ex rerum inopia suffocentur.

Cum itaque petita laetissime obtinerentur; ego cum primo in fundamentis latinae linguae vnicum institui, deinde a Viro, litteris sacris & humanioribus praestantissimo *Christophoro Iürgens* Conrectore Ieverano, & Collega meo desideratissimo, qui eadem ratione cum ipso graeca tractaret, haud difficulter consequutus sum.

Iactis harum linguarum fundamentis ad primi ordinis lectiones, & beneficiorum scholasticorum perceptionem is pervenit, illisque ad hoc usque tempus, quo valedicit, ut litterarum studiosum decet, usus est. Etenim de latinitate tantum, ut eam intelligat, & de Graeca, ut possit se iuvare, haecenus percepit.

Nec alienus fuit ab eloquentia tam latina quam germanica; sicut orationes ipsi iniunctas non tantum privato exercitio, sed in examine etiam publico absque laude acceleratae cognitionis latinae non recitavit. Perspexit quoque, me duce, historias, civilem, ecclesiasticam & litterariam. In reliquis, ut ei parcerem, consultius duxi.

Ipte in valedictoria, quae a me dicta sunt omnia, probabit. Sibi enim elegit loqui

CHRISTIANUS JURCHTE GÖTTLIEPMANN
de singularissima Dei providentia in hominibus ad ecclesiam vocandis.

Huic



Huic materiae vt se duo sequentes conforment:

IOHANNES HENRICUS FIBINGIUS, Viri Plurimum Reverendi & eleganter docti IOHANNIS HENRICI FIBINGII, ecclesiae, quae Christo Minsenae Ieveranorum colligitur, Pastoris primarii dignissimi, filius natu maximus; Iuvenis sane ingenio, linguis, & scientia liberalium artium, vt & morum cultura apprime instructus aget *de causis praecipuis, unde Iudaeorum pauci ad coetum Christi accedant.* Et tandem

ROBERTUS ANTHONIUS IANSENIUS, Beati Viri IOHANNIS FRIDERICI IANSENI, Pastoris quondam Niendensibus primarii, doctrinaeque suo tempore, & vitae castimonia praestantissimi, filius natiuitate primus; itidem Iuvenis constanti diligentia & morum bonitate Praeceptoribus Scholae patriae probe conspicuus, proponet *Causas praecipuas, unde plures Iudaeorum, qui Christi iam sunt confessi doctrinam recedant,*

Hae declamationes cum die & hora fronti huius schedulae infixae, clementerque permiffae, habendae sint; ad eas SERENITAS PRINCIPIS SUMMIQUE DYNASTIAE IEVERANAE SATRAPAE INDULGENTIA, nec minus Patronorum favor, & amicorum humanitas *Clementissime* & perbenevole auscultandas devotissime, observanter, & officiose invitantur.

311



Qvi
DEO & POPULO
Vixit,
POPULO, non DEO

Mortuus est,

CHRISTIANUS SEXTUS

Nuper Rex

Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum Gothorumqve,
Dux

Slevici, Holfatiæ, Stormariæ & Ditmarfiæ,

Delmenhorft.

Regum Exemplo,

evovit, Corpus Sacravit.

ulo,
Totum Dicavit.

ea,
Mortuus (*)
Vixit.

* Matth. 22,
v. 32.

um, Morte Inchoatam,
Obnoxiam.

eu!
ft Mortuus,
am Vixit

e Pater,
æ Nutricius,

um Arbitr,
n Servator,

n Artium Stator,
egum,
Deliciæ.

Cui C

Illi, I

